

2583

C O D I C E S

2584

*ralis, in qua explicantur ea, quae Ecclesiasticos, potissimum vero curam animarum gerentes scire oportet. Extat Cod. CCCXXIV. Theoria Theologiae, quam Speculativam vocant, quam a Cpb. Labbeo Jesuita Leopoldo Archid. Episcopo Passav. traditam conjectavimus. Conjectura haec ad certitudinem convalescit ex Opere praesenti, cujus p. penult. legitur: Decimum quintum uero Tractatum de documentis contra peccata, quem bonae memoriae P. Christophorus Labbe — composuit, quia perficere non licet, piget aggredi &c. Verba sunt haec Wilb. Jonstoni Scoti Noviensis itidem Jesuitae, qui a docta Graecii Stiror. Philosophia, Theologiaque Labbei in erudiendo Principe successor factus a. 1608. non nisi usque ad finem sequentis anni superstes fuit. Sex Tractatibus definitur ejus Institutio, ad cujus calcem manu Serenissimi Discipuli haec legas notata: Laus Deo Virginique Matri Mariae; et omnibus SS. Patronis Meis. S. Leopoldo, S. Wolfgango, S. Bennoni, S. Caeciliae, S. Barbarae, S. Catharinae, et S. Mariae Magdalena. 1608. Pietas ad omnia utilis. Leopoldus Die 28. Julij. Passavij, Professore Reuerendo in Christo Patre Wilhelmo Jonstonius. A Leopoldo porro transiit Codex hic, ut in fronte scriptum reperio, ad Archiducem Sigismundum Franciscum, et ipsum tribus in Adoléscentia Infulis, Gurcensi, Augustana et Tridentina conspicuum, quibus tamen a.*

1665. renuntiavit et Sponsus eodem anno obiit Oeniponte.

## DCLXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. <sup>307</sup> XV. Folior. 328. f. currente calamo per duas columnas a diversis exaratus sequentia continet: I. Thomae Ebendorfer dicti de Haselbach Tractatum de Confessione. In illud: *Ecce nunc tempus acceptabile &c.* Initium: *Haymo exponens verba premissa dicit &c.* Finis: *pauper autem prudens scrutabitur eum. Expliciunt collationes magistri thome de Haselpach de confessione Anno 1449.* Collationes hae, quod sciam, lucem nunquam videre, memorantur tamen *msptae* aliquot locis in *Vita Autoris inter Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. I. p. 158.* Librarium nostrum lepidum caput fuisse oportet; nam fol. 26. p. 2. relicto aliquot linearum spatio adscripsit: *Hic nihil difficit nisi aurum et argentum. Sit laus deo.*

II. fol. 63. *Expositio simbulo apostolorum.* Initium: *Ex quo communiter solet scribi et dici coram simplicibus et communibus laicis &c.* Procedit Anonymus juxta receptam olim opinionem, singulos Articulos a singulis Apostolis congestos fuisse, et in *Art. nono* ad Doctrinam de *Sacramentis* excurrit. Verum mutilum est Exemplar nostrum, et in Sacramento *Confirmationis* deficit. Non haererem Expositionem hanc pariter *Thomae Haselbachio* adferere, nisi  
Autor

Autor vitae illius loco *supracit.* scripsisset, *Tractatum Haselbachii* ejusdem argumenti incipere: *Ipsa lumina ecclesie &c.* Ad Magistrum tamen aliquem *Viennensem* ut referam, suadet citatus per decursum interdum *M. Henricus de Hassia.*

III. fol. 112. absque inscriptione *Tractatus de Vitiis et Virtutibus*, qui infit: *Nunc dicendum est de vicijs et aliquibus virtutibus eis oppositis &c.* et pertinet ad *Nicolaum de Dünkelspühl*, ut dictum alibi. Adi *Indicem.* Hic subscriptus: *Anno Domini MCCCCXLVIII.*

IV. fol. 235. *Tractatus de Indulgentiis*, cui rubro impositum: *M. Johannis Geyzz.* Initium: *Quodcunque solueritis super terram &c.* Hec verba *Christus dominus noster dixit beato petro &c.* Finis: *qui pro necessitate ecclesie operatus est ad illum continuari.* Subscriptum: *Anno Domini MCCCCXII.* id est 39. *In die ante exaltationem sancte crucis.* Iam *Cod. DCLXXII.* ἐδέσποτος indicatus. De Autore mox.

V. fol. 245. *Expositio*, ut ex calce praeoccupo, *simboli apostolorum M. Job. Gews doc. Wyennens. Vniuersitatis.* Incipit: *Quicumque homo habens usum rationis vult venire in regnum celeste &c.* Et finit: *et adiuuet qui nos illuc precessit Iesus Christus dominus noster qui cum patre &c.* *Expositionem* hanc jam *Cod. alio Nicolao de Gretz* inscriptam recensuimus. Eidem etiam tribuunt *Codex ad Scotos Viennae, Claustroneo-*  
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

*burgi, Lunaelaci, Ratisbonae*, ut video in diligentissimi *Xysti Schierrii Specim. Stryiae literat.* p. 6. *Codex* item *Bibl. Univ. Vien.* unus, cum alter *Joannis de Grätz* nomen praeferat. Voculam *Grätz* vel *Grecz* ex corrupto *Gews, Geyzz, Geufs* ortam esse, nullus dubito; licet enim in *Hist. Univ. Vien.* ad an. 1422. memoretur *Johannes de Graz*, is tamen *Iurium*, non *Theologiae* Doctor fuit, neque honores ullos Academicos gessisse videtur; ut ex *Locheri Speculo Acad. Vien.* liquidum fit. Quomodo vero in tanta temporum vicinia *Expositio* nostra a *Nicolao de Gretz* ad *Johannem Gews* vel *Geufs* transferri potuerit, non facile est dispicere. Fuit tamen uterque ad *D. Stephanum* Canonicus, uterque *Academiam* rexit, ille quidem a. 1437. hic vero a. 1427. et iterum 1435. Ortus ex *Teining Palatinatus* super oppido obiit 1440. relicto etiam *Tractatu de vitiis linguae*, qui fuit: *Nurnberge impressus solerti industria et uigilanti opera per fratres ordinis Heremitarum diu. Doctoris Augustini anno incarnat. Dom. MCCCCCLXXIX.* 4. ut notat *Roederus in Catal. Libb. Sec. XV. Norimb. impressor. p. 15.*

VI. fol. 265. p. 2. *Sermo de ludo tessere.* Absque autore. Initium: *Notandum quod in ludo tesserarum septem committuntur peccata mortalia. Primum cupiditas &c.*

VII. fol. 266. p. 2. *Sermo de Morte.* Initium: *Cum de presentis exilij miseria &c.* Opusculum alias inscriptum *de Arte Morien-*

2587

## C O D I C E S

2588

di jam *Codd.* multis exhibitum fuit, ut *Index* docet.

VIII. fol. 270. *Henrici Kelntritz De dedicatione templi sermo bonus.* Incipit: *Ecce dominus est in loco isto. Gen. XXVIII. Hodie peragimus ecclesie huius anniuersarium dedicacionis diem &c.*

IX. fol. 276. *Mouenda sunt aliqua dubia circa Sacramentum Eucharistie pariter et soluenda. Primum Quare Dominus non dedit se nobis in forma propria &c.* Non Dubia tantum sunt, sed exacta Institutio ad rite suscipiendum Altaris Sacramentum.

X. fol. 291. *Sermones Re. M. Thome de Haselpach De quinque sensibus.* Incipiunt: *Cogitau aliqua de quinque sensibus premissis annectere, quia magnam prebent illicite concupiscentie in nobis occasionem &c.* Desinunt: *cuius ista organa comparata sunt despiciunt. Hec ille.* Sex hos *Sermones* et a *Tribemio* et in *Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. 1. p. 160. Haselbachio* tribui video, ut jam ad *Cod. DCVI.* monui, licet testes hi aliquot linearum *Prooemium* prae-mittant, quod incipit: *Postquam dei dono taliter qualiter &c.* At vero cum hoc *Prooemio* *Sermones* hos inter *Nicolai de Dunkspühl* opera *Argentinae 1516. f.* excudi fecit vir inelytus *Jac. Wimpbelingius*, ubi fol. 153. leguntur. Revocat se in illo *Prooemio* Auctor ad suam *Expositionem Praeceptorum Dei*, unde quis facile li-tem dirimeret, nisi tam *Haselbachius*, quam *Nicolaus Decalogum* exposuisset, ut *Codices mss.* te-

stantur. Rem itaque in medio relinquam, necesse est. Certiora docebit, cui Fors libraria *Codicem αὐτογγραφοῦν* obtulerit.

XI. fol. 315. *Sermones V. de Nouo Sacerdote ἀδελφοί, quorum Primus in illud: Honora deum ex tota anima tua et honorifica Sacerdotes &c.* Levis omnes momenti.

## DCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 737 XV. Folior. 57. 8. caractere atro luculento perscriptus, et rubricis interstinctus insignitur *Modus et forma confitendi*, et infit: *Confiteor &c. usque mea culpa. In primis. de multis bonis que facere potui et non feci. dico meam culpam &c.* Ita percurruntur *Officia Hominis christiani* generatim usque ad fol. 17. a quo *Commiffa* de sex operibus misericordiae, *Peccata capitalia* cum suis *Filiabus*, *Peccata in Spiritum S.* contra *Praecepta Decalogi*, novem aliena *Peccata*, octo *Beatitudines*, septem *Dona Spiritus S.* septem *virtutes cardinales*, duodecim *articuli fidei* et septem *Ecclesiae Sacramenta* singillatim recensentur, additis saepius opportunis *monitis*, ut *Libellus* non tantum *discutiendae Confitentiae* servire, sed etiam *Compendium* quoddam *Institutionis christianae* haberi possit. *Scriptor* tamen *inperfectum* destituisse videtur.

## DCLXXIX.